

influere in hæc inferiora; vivificare, animare, fovere, fecundare, penetrare, ac exhilarare omnia. *Minus principales*, rarefacere ac calefacere, si concentrata sit & moveatur; spiritus urgere ac propellere, in flammam agere combustibilia, si irritetur, efficere colores, pro diversitate medii, objecti, & subjecti variabiles, disponere organa, & omnia in naturali conservare statu suo.

SECTIO II. PROBABILIIUM.

Problema I.

Lux in se una eademq; (quia simplex) est, sed variè considerari potest, ratione statûs sui.

Solers & sollicitus alioquin indagator rerum naturalium D. *Thomas Willis* tract. de brutor. anima, c. 15. Lucem vocat *aliam primariam, quæ immediatè à lumine procedat, aliamque secundariam, quæ reflectatur ab objectis.* Sed errores plures paucis insunt verbis. Confudit lucem scilicet cum lumine, substantiam cum accidente, causam cum effectu. Malè postea à lumine deduxit lucem; cum inverso ordine fuisset procedendum. Nec Lux reflectitur, sed radij, sed lumen. Lux est res immanens, emanans lumen. Lumen aliud primarium, aliudque secundarium, & sic porrò. *Primum* dicitur, quod immediatè à corpore lucido per rectos evibratur radios in aperto undiq; diaphano. *Secundum*, quod à primo provenit vel repercussione, aut refractione. Sic *Lumen simplex.* *Lunæ* in his terris lumen, quod à Sole est; aut quod à montibus, vel parietibus objectis oppositam in partem repercutitur. *Tertium* quod à secundo provenit, ut in loco clauso aliquo septentrionem prospectante, sub integumento, aut cortinâ rariori. *Quartum*, quod à tertio relinquatur, ad umbræ similitudinem accedens; quale illud tempore crepusculorum. *Quintum* planè debile, ut in illuni nocte. cuius ope tamen talpæ, noctuæ, cicindelæ, feles, atq; homines nonnulli possunt cernere objecta proxima. De cuius rei causa pluribus deinceps. Differentias has optimè pictores observare ac dijudicare solent. Sed regredimur ad Lucem, quæ

D 2
pro

Willisus notatur.

Lumen simplex.

*Solus
obscuro*